



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm**

**Vinitor, Gerlacus**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

IV. De Missa solemni & priuata quae coram SS. Sacramento patenter  
exposito celebratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9459**



§. 6. Interim dum fit communio tam Clericorum quam Laicorum, possunt conuenienter decantari aliqui psalmi, aut hymni, siue Cantica de SS. Sacramento secundum morem locorum, vel pulsari Organa.

§. 7. Celebrans vel Diaconus in fine Communionis cum Ciborio seu pyxide nullam dare debet benedictionem, sed Celebrans in fine Missæ solùm more solito benedicit.

§. 8. Si post Missam rationabili de causa facienda sit communio generalis per Celebrantem, tunc Celebrans adhuc indutus planeta, eadem agit, quæ superioribus præscripta sunt, & eo casu faces ab Acolythis etiam accendendæ sunt. *Rit. Rom. III. de comm.*

§. 9. Pyxides in quibus sacræ hostiæ asseruari solent, sicut & vascula pro sacris oleis conseruandis prius sunt benedicendæ quam ad eum vsum admodum sacrum adhibeantur: & colligitur ex regulis Missalis de ingressu Sacerdotis ad Altare vbi expressè habetur hostias consecrandas debere vel super corporali, vel in Calice, vel in alio vase mundo consecrato poni. Materia huius vasculi pro sacris hostijs asseruandis de conuenienti debet esse argentea atque deaurata, sed propter Ecclesiæ paupertatem adhiberi poterit aliud alterius materiæ modo sit tale in quo fideliter & absque periculo irreuerentiæ corpus Domini asseruari possit. *Durandus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ cap. 16. Viggers part. 3. q. 83. dub. 16. n. 76.*

TITVLVS IV.

De Missa solemn: & priuata qua coram SS. Sacramento patenter exposito celebratur.

1. Cùm Eucharistia sit præcipuum & maximum Dei donum & longè Sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia admirabilius, nihil dignius, nihil sanctius, & nihil salubrius, ipsum omnis boni ac gratiæ fontem & auctorem continens, illi non potest à nobis condignus honor impendi; vnde congrua est, *Carem. Epif. lib. 1. c. 12.*

L 6 & ab



& ab antiquis SS. Patribus tradita consuetudo (sicut & Cæremoniale Episcopum optimè monet) ut in Altari, ubi expositum est diuiniſſimum hoc Sacramentum, nunquam, vel rariò Sacrum Missæ sacrificium celebretur, nisi id exigat necessitas, vel alia iusta causa, utpote infra Octauam Corporis Christi, & tempore publicæ orationis 40. aut 10. Horarum, quo casu omninò laborandum est, ut in eo exactissimè debitæ genuflexiones, ac reuerentiam tanti Sacramenti spectanti, varijsque in libris Ritualibus præscripti, & sparsim hoc loco collecti sunt, obseruentur.

*Gauantus  
comment. in  
Rubr. Miss.  
part. 2. tit.  
14. n. 1.*

4. Sacerdos itaque celebraturus coram sanctissimo Sacramento patenter exposito inducus paramentis in Sacristia, imposito ac benedicto ibidem thure in thuribulo, cum Ministris sacris, ut in alijs Missis solemnibus, procedit ad Altare.

*Gauantus  
loco citate  
num. 5.*

3. Cum Celebrans & Ministri Sacri Presbyterium, seu Capellam, in quo SS. Sacramentum expositum est, ingressi fuerint, caput statim nudant, & cum ante infimum Altaris gradum peruenerint, genuflectunt omnes simul utroque genu in plana terra, addita capitis etiam profunda inclinatione; mox surgentes, Celebrans facit Confessionem; ut in alijs Missis.

*Cærem. Epis.  
lib. 1. c. 23.*

4. Facta Confessione, Altare ascendens prius cum Ministris ante SS. Sacramentum unico flectit genu (quod per totam Missam obseruatur ut expeditior sit) mox dicens *Oramus te Domine, &c.* more solito osculatur Altare, & in ceosum thuribulo imponit, illudque more solito benedicit, Diaconus uerò Nauiculam ministrat atque thuribulum porrigit sine osculis.

*Cærem. Epis.  
lib. 1. c. 23.*

5. Celebrans accepto à Diacono thuribulo super Altiorum Altaris gradum genuflexus, omnibus quoque ministris genuflectentibus incensat



incensat SS. Sacramentum triplici ductu, incli-  
nans caput suum ante & post incensationem SS.  
Sacramenti; Deinde surgens incensat Sancto-  
rum Reliquias, seu Imagines, & Altare more  
solito, & quoties transit SS. Sacramentum, aut  
recedit ab eo, toties genuflectit dextro genu  
vsque ad terram.

6. Finita incensatione redditoque Diacono  
thuribulo in cornu Epistolæ, vti moris est, des-  
cendit in planum versus cornu Epistolæ, & sistit  
se versa facie ad populum, aduertens, ne dum  
mouet se vertat terga SS. Sacramento, atque  
ibidem stans iunctis manibus à Diacono è con-  
trà stante in plano Capellæ, thurificatur triplici  
ductu; Mox ad librum Missalis conuersus, le-  
git Introitum.

7. In hac Missa quoties Celebrans accedit ad  
medium Altaris, aut ab eodem medio recedit,  
vel transit ante illud, toties genuflectit, quod  
item faciunt Ministri omnes respectiue vnico  
flectentes genu.

8. Celebrans se conuertens ad populum di-  
cturus *Dominus vobiscum* osculato prius Altari,  
genuflectit; deinde surgit, & sistit se renibus ad  
cornu Euangelij semiuersis, tum facta genu-  
flexione iterum in medio, accedit ad cornu Epi-  
stolæ, vt dicat orationes.

9. Finitis orationibus Subdiaconus præmissa  
genuflexione in medio Altaris in loco consæto  
Epistolam cantet, & rursus facta, vt antea, SS.  
Sacramento genuflexione osculatur more solito  
Celebrantis manum.

10. Dum Diaconus ante Euangelium petit  
benedictionem, Celebrans præmissa genuflexio-  
ne, vertens tergum ad cornu Epistolæ, eundem  
more solito benedicit, qui obtenta benedictio-  
ne manum Celebrantis (vt aliàs) osculatur.

*Gauantus*  
*part. 2. tit.*  
*14. n. 6.*

*Gauantus*  
*loco citato*  
*num. 7.*

*Rubr. Miss.*  
*de officio ca-*  
*na Domini.*  
*Carem. Epif.*  
*lib. 2. c. 23.*

*Rub. loco cit.*  
*Carem Epif.*  
*loco cit.*  
*Castaldus*  
*praxi Ca-*  
*rem. lib. 3.*  
*sect. 10. cap.*  
*3 n. 2.*

*Gauantus*  
*loco cit. n. 10.*

*Gauantus*  
*loc. cit. n. 20.*



Celebrans verò ibidem expectat donec idem Diaconus cantando absoluerit Euangelium. Iudque per Subdiaconum sibi delatum osculatus, atque etiam à Diacono more solito incensatus fuerit; Deinde conuersus ad medium prae missa genuflexione de more cantat si dicendum sit) *Credo.*

*Gauantus  
ibidem n. II.*

11. Si concionandum est à Celebrante, statim eo stante in cornu Euangelij, & aperto capite Ministri ad eius dextram stabunt extra cornu Euangelij.

12. Incensaturus oblata statim benedictione facta thuris, eadem more solito incensat non prius genuflectens, sed ijs incensatis genuflectit super altiorem gradum, vt supra ter incensat SS. Sacramentum, & tunc Diaconus non amouet Calicem, quia non est periculum effusionis eius. Deinde incensat Altare more solito dicens *Dirigatur Domine, &c.*

13. Incensato Altari Celebrans reddito thuribulo retrahit se extra cornu Epistolæ versa facie ad populum, ibique incensatur, lauat manus, atque tergit.

14. Deinde reuersus ad medium Altaris genuflectit, & aliquantulum inclinatus dicit *Suscipe Sancta Trinitas, &c.* quo dicto iustus genuflectit in medio, & conuertens se vt dicat *Orate fratres, &c.* sistit se renibus ad cornu Euangelij semiuersus quo dicto, circulum non perficiens iterum genuflectit in medio Altaris; Reliqua peragit vsque ad Communionem, vt in alijs Missis.

15. Post purificationem Celebrans ante ablu-tionem digitorum genuflectit, accipit Calicem & de more capit ablu-tionem in cornu Epistolæ & non extra Altare; reuersus deinde ad mediam genuflectit, sumit ablu-tionem, & iterum genu-



genuflectens redit ad librum vbi dicit *Commis-*  
*monem.*

16. Dicta Communionem redit ad medium Al- *Carem Epif.*  
taris genuflectit in medio, & dum vertit se ad *lib. 2. c. 23.*  
populum dicturus *Dominus vobiscum* non utique  
in medio Altaris vertit renes sanctissimo Sacra-  
mento, sed sicut in initio Missæ versus latus E-  
uangelij, & iterum facta genuflexione redit ad  
cornu Epistolæ perficiens complenda.

17. Diaconus dicturus *Ite Missa est* genuflectit  
antè & post, & stat versus populum, renes ver-  
tens ad cornu Euangelij, sicut Celebrans;  
Subdiaconus verò non semouet.

18. In benedictione populo danda, dicto, *Carem Epif.*  
*Benedicat vos omnipotens Deus, &c* genuflectit Ce- *lib. 2. c. 23.*  
lebrans, & in latere Euangelij benedicit non per-  
ficiens circulum, nec postea redit ad medium, vt  
genuflectat, sed statim ad idem latus Euangelij *Gauantus*  
conuersus circulum non faciens dicit *Dominus loco citato*  
*vobiscum* & cum dicit *Initium* vel *Sequentia san-* *num. 15.*  
*cti Euangelij, &c.* signat librum seu tabellam E-  
uangelij, sed nullo modo Altare, quamuis san-  
ctissimum Sacramentum esset altius, aut in cali-  
ce seu pyxide; est enim ac si esset in Altari.

19. Cum in fine Euangelij dicit *Et verbum caro* *Gauantus*  
*factum est* genuflectit Celebrans cum ministris *part. 4. tit. 8.*  
paudò versus SS. Sacramento. *num. 8.*

20. Finito Euangelio redit ad medium Altaris,  
vbi genuflectit, & descendit in planum, vbi ite-  
rum vtrumque genuflectit in plano cum mini-  
stris, & sumptis biretis capita non tegunt, nisi ex-  
tra presbyterium.

21. Si autem facienda sit processio pro Ora-  
tione publica, aut alia de causa rationabili, facta  
in medio suppedanei Altaris genuflexione, des-  
cendit per gradus laterales Epistolæ in planum,  
vbi depositis Planeta & manipulo, & iisdem  
à Mini-



à Ministris : Celebrans induit pluuiiale, & cetera facit quæ ad processionem spectant, vt infra præscribetur.

22. Ad maiorem tamen supradictarum Cere-  
moniarum intelligentiam, conueniens esse exi-  
stimatur annotare distinctè, & speciatim genu-  
flexiones, & alias reuerentias, quæ fieri debent  
tam in Missis priuaris, quam solemnibus, vt spe-  
cialiùs annotatæ ad amussim faciliùs obseruari  
possint.

23. Celebrans ergo ad Altare in quo SS. Sacra-  
mentum est expositum hæc perficere debet.

I. Statim ac Presbyterium seu Capellam dicti  
Altaris ingreditur, caput detegit, & cum egredi-  
tur etiam caput tegit ibidem.

II. Ad medium Altaris genuflectit in plano, v-  
troque genu, vt supra, & caput deuotè inclinat  
profundè in plana terra.

III. Posito calice in cornu Euangelij ante-  
quàm extrahat Corporale de bursa genuflectit,  
& aptato Corporali, atque posito calice de super  
genuflectit iterum, & accedit ad cornu Episto-  
læ, & rediens ad medium iterum genuflectit, &  
aliquantulum retrahens se ad cornu Euangelij,  
descendit in planum Altaris, ibi que vnicum ge-  
nuflectit, & caput inclinat & erectus incipit  
Missam.

IV. Postquàm ascendit ad Altare antequàm  
incipiat *Oramus te Domine*, & postquàm illud  
dixerit, genuflectit.

V. Ante *Kyrie eleyson* in medio Altaris,  
vel in Missa solemnè antequàm dicat *Gloria in  
excelsis*.

VI. Antequàm se vertat ad populum dicturus  
*Dominus vobiscum* in cornu Euangelij, osculato  
priùs Altari, quod semper fit quando conuertere  
se debet

se debe  
cornu

VII.

flectit

VIII

ante O

IX.

Oremus

X.

vinum

taris

XI.

extra c

prà, ad

cie ad

XII

in corn

culum

biscum

XIII

ante d

XIV

vt leg

XV

quo p

XVI

biscum

Dom

XVII

perfic

tum.

XVIII

tatur

XIX

flecti

ad al

XX



sedebat ad populum, & antequam reuersus ad cornu Epistolæ dicturus *Oremus* genuflectit.

VII. Ante & post *Munda cor meum, &c.* genuflectit in medio Altaris.

VIII. Ante *Credo*, vel ante *Dominus vobiscum* ante Offertorium genuflectit.

IX. Versus Altare genuflectit antequam dicat *Oremus* ante Offertorium.

X. Antequam accedat ad cornu Epistolæ, ut vinum capiat, & iterum reuersus ad medium Altaris

XI. Ante & post lotionem manuum, quæ fit extra cornu Epistolæ, in plano versa facie, ut supra, ad populum, vel ut alij praticant versa facie ad ipsum cornu.

XII. Ante & post *Orate fratres* dicens illud in cornu Euangelij, ut supra, & non perficit circulum, sed illud dicit eo modo quo *Dominus vobiscum*.

XIII. Post sumptam purificationem scilicet ante & post abluionem digitorum in Calice.

XIV. Antequam discedat à medio Altaris ut legat Communionem.

XV. Ante & post *Dominus vobiscum* eo modo quo post *Gloria in excelsis*.

XVI. Post orationes ante & post *Dominus vobiscum*, & *Ite Missa est* si veid dicat *Benedicamus Domino* genuflectit prius conuersus ad Altare.

XVII. Ante benedictionem, qua data non perficit circulum, sed facit ut supra præscriptum.

XVIII. Non signat Altare, sed librum, si eo utatur, tantum aut tabellam.

XIX. Dicens *Et verbum caro factum est*, genuflectit aliquantulum versus SS. Sacramentum, & ad alia similia.

XX. Antequam capiat Calicem in medio Altaris



Altaris genuflectit, & iterum postquam descenderit ultimum gradum Altaris utroque genu in plana terra.

ANNOTATIONES.

*Carem. Epif. lib. 1. cap. 12.* §. 1. Quamuis moneamur ex antiquorum traditione, & *Carem. Episc* ut abstinemus à Missa coram SS. Sacramento celebranda, licet in Tabernaculo sit inclusum: imò si aliquis sit celebraturus in eo Altari solemniter SS. Sacramentum in aliud omnino transferendum esse doceat. Quia tamen aliquando potest contingere & urgere necessitas, vel etiam consuetudo in plerisque locis à longo tempore seruata, vel etiam dies infra octauam Corporis Christi, Oratio quadraginta horarum aut alia huiusmodi, in quibus Missa solemnes vel priuatæ celebrari debent. Ideoque tunc omnes genuflexiones & actus reuerentiales superius notati diligentissimè obseruandi sunt.

*Carem. Epif. lib. 1. c. 12.* §. 2. Minimè probatur illa consuetudo, quæ in uult plurimis in locis exponendi SS. Sacramentum in maioribus festiuitatibus Sanctorum, imò singulis diebus Dominicis, & ferè festis omnibus. Mos enim iste aduersatur *Caremoniali Episcoporum*, aliisque ritualibus, libris & statutis Synodalibus quàm plurimis. Et certè attendendum esset, ne ob nimiam exponendi ipsius SS. Sacramenti frequentiam cultus ei debitus, & honor minuatur, quod ex frequentissima hac expositione sæpè euenit; dum sine sufficienti Clericorum numero, absque vlla thurificatione, Cantu, aliisque *Caremonijs*, nec sufficientibus adhibitis luminaribus, in Altari ad hoc non satis decenter ornato, perfunctoriè exponitur; ac coram eo sic exposito indifferenter celebratur, concionatur, communio distribuitur, transitur, tergum indecorè vertitur, aliaque exigua cum reuerentia fiunt. Ideoque prohibenda huiusmodi expositio esset, quæ sit absque ordinariorum Diocesanonum expressa speciali ad id licentia, ut sentiunt multi, & præcipue id prohibent Acta Mediolanensis Ecclesiæ, & nisi necessitas publica, & grauis Ecclesiæ causa id exposcat. Festiuitates enim Sanctorum, & festa Patronorum Ecclesiæ aliam solemnitatem requirunt, & expositio Sacramenti diuersam postulat & sibi peculiarem solemnitatem. Nam præsentem Domino summo, cessare



debet honor, qui seruo exhibendus esset, & presente Sole alia omnia astra splendorem amittunt, & ea de causa iam multi Episcopi hunc morem iuste abrogarunt; certosque dies & casus exponendi SS. Sacramentum prescripserunt sicut prescribit. Concilij Prouincialis Colonienfis sub Nicolao Cusano S. R. E. Cardinae ac de latere Legato habiti constitutio: cuius verba lubet hic adseribere: *ad maiorem inquit honorem Sanctissimi Sacramenti statimus quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum, nullatenus visibiliter in quibuscumque Monstrantijs ponatur aut deferatur, nisi in Sanctissimo festo Corporis Christi cum sua Octaua & extra huiusmodi festum cum sua Octaua semel in anno, in qualibet Civitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarij aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente, ex indispositione Rempublicam praeuallente: & tunc cum magna reuerentia atque deuotione in praemissis tamen laudabilibus consuetudinibus huius Metropolitanae & Cathedralium Ecclesiarum Suffraganeorum eiusdem semper saluis.*

Concil. Prouinc. Colon. sub Nicolao Cusano pag. 251. §. item ad maiorem honorem &c.

§ 3. Maximè curandum est, vt Sacrosancto Corpori Domini nostri Iesu Christi omnium Sacramentorum fonti, locus praecellentissimus ac nobilissimus omnium semper in Ecclesia praeparetur & assignetur.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 12.

§ 4. Altare in quo augustissimum Eucharistiae Sacramentum exponitur, quam poterit venustissime ornandum est & in eodem Altari quamdiu Sacratissimum hoc Sacramentum patens & apertum est expositum, octo, sex, aut quatuor cerei, vel ad minus duo continentia ardere debent, minimè autem tantum vnus.

§ 5. In dicto Altari quo tempore expositum est hoc Maximum Sacramentum Crux ordinaria in medio Altaris posita, adesse non debet.

Gauantus part. 2. tit. 14. num. 6. Carem. Epis. lib. 2. c. 12.

§ 6. Valdè oportunum & decens est vt SS. Sacramentum non collocetur in maiori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam celebraturus, aut communio distribuenda est: ne frequens transitus celebrantis ac ministrorum irreuerentiam minimè leuem causent.

§ 7. Monstrantia aut Ciborum cum SS. Sacramento nusquam reponenda, nisi locus ille substratus sit corporali, aut saltem pallâ benedictâ, & mundâ.

Gauantus part. 4. tit. 12 num 7.

§ 8. Ex Altari, in quo patenter expositum est augustissimum Sacramentum nunquam Celebrans capere debet paramenta, neque ibidem ea reponere, licet sit Episcopus, ob apertam praesentiam SS. Sacramenti,

Gauantus part. 4 tit. 8. n. 9 litt. l.

sed



sed in Sacrificia, aut alio loco remoto & separato Presbyterio

*Carem. Epif.*  
*lib. 1. c. 12.*

§ 9. Apud idem Altare nunquam licet Celebranti sub Missæ sacrificio sedere, sed semper stare deorsum capite.

*Gauantus*  
*part. 2. tit.*  
*14 n. 51.*

§ 10. Quando contingit fieri concionem coram SS. Sacramento super Altari patenter exposito, idipsum velo albi coloris interim cooperiendum est, nisi Concionator sit ad Altare, & stans in cornu Evangelij & tunc aperto capite concionabitur, sicut & auditores auscultare debent; Ministri autem parati stabunt ad eius dextram in cornu Evangelij.

*Carem. Epif.*  
*lib. 2. c. 23.*

§ 11. Coram SS. Sacramento nihil quod tradendum est Celebranti, osculari debet, neque eius minus in rerum traditione, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti.

*Carem. Epif.*  
*lib. 2. c. 12.*

§ 12. Genua flectere debet coram SS. Sacramento patenter exposito Celebrans cum ministris dextro genu usque ad terram toties quoties accedit medium Altaris, & inde recedit, nec non ante & postquam se vertit, flectere debet.

*Carem. Epif.*  
*lib. 2. c. 23.*

§ 13. Nunquam tergum vertendum est SS. Sacramento, nec unquam perficiendus est circulus coram eodem SS. Sacramento.

*Carem. Epif.*  
*lib. 1. c. 12. &*  
*lib. 2. cap. 2.*  
*26 & 330 &*  
*Missal. fer. 5.*  
*& 6. maioris*  
*hebdom.*

§ 14. Quotiescumque SS. Sacramentum patenter expositum; thurificandum est, semper thurificatur genu flexu triplici ductu; cumque ipsum solum est thurificandum nunquam thus debet benedici, sed simpliciter imponi thuribulo; & cochlear ac thuribulum porrigi & recipi sine osculis; sed si thurificandum est Altare simul super quod impositum est SS. Sacramentum apertum tunc benedicitur thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genu flexione, & quoties ante illud in thurificatione transit Celebrans toties genua flectit

§ 15. Notandum prætereà SS. Sacramentum incensandum esse in loco ubi est positum, antequam ab eo loco in quo est, super Altare deponatur, vel Celebranti tradatur. Item postquam vepositum est super Altare, post finem Processionis, vel alterius orationis, prius super Altare debet incensari, quam in alio loco ponatur, nec postea debet amplius incensari; scilicet postquam ibi collocatum fuerit.

§ 16. SS. Sacramentum, aut Altare in quo patenter expositum est, nunquam aspergitur, ea ratione quæ non

non sig  
quamu  
rium r  
§. 1  
nica e  
nit vt e  
quod f  
quoqu  
§. 18  
Monstr  
populu  
sâ sem  
circul  
& alij  
sicut i  
bened  
qui on  
non h  
§. 1  
mentu  
rum t  
emine  
per A  
Sacr  
moue  
indec  
scabe  
tes vt  
centi  
§.  
pro ac  
nend  
præse  
tur: n  
ipfi S  
script  
tio ei  
§.  
turus  
puli p  
nit d  
Missæ  
stolæ  
ac m  
quan



Tit. IV.

o &amp; separato

icet Celebrans

er stare debet

nem coram SS.

posito, idipsum

est, nisi Con-

i Evangelij &amp;

ur &amp; auditores

ati stabunt ad

quod traden-

teque eius mo-

rarentiam SS.

. Sacramento

nistris dextro

edit medium

postquam se-

est SS. Sacra-

culus coram

um patenter

thurificatur

m solum est

nedici, sed

ear ac thuri-

i thurifican-

tum est SS.

r thus, sed

one, &amp; quo-

iebrans to-

atum incen-

quàm ab eo

l Celebrans

super Alta-

s orationis,

n alio loco

ri; scilicet

io patenter

atione qua

non.

non signatur Altare initio Evangelij in fine Missæ, quamvis in Rubricis aliquorum Missalium contrarium reperiatur

§. 17. Si cantantur Vesperæ aut aliæ horæ Cano-  
nica coram SS. Sacramento in Altari exposito, conue-  
nit ut omnes stent aperto capite, & nunquam sedeant,  
quod si sedeant caput minimè tegant; obseruandum  
quoque ne intra cancellos cooperiatur caput.

§. 18. Dum Sacerdos exponendo aut reponendo  
Monstrantiam cum SS. Sacramento benedicturus est  
populum facie hostiæ ad eundem populum conuer-  
sâ semel tantùm in modum Crucis nihil dicens &  
circulum perficiens benedicit; solus enim Episcopus  
& alij vsum paramentorum Pontificalium habentes  
sicut in Missa, ita cum Monstrantia SS. Sacramenti ter  
benedicunt populum; à qua trina benedictione reli-  
qui omnes, tum Sacerdotes, tum Prælati vsum mitræ  
non habentes, abstinere omninò debent.

§. 19. Locus Altaris in quo exponi debet SS. Sacra-  
mentum ita disponi debet, ut super locum Reliquia-  
rum totus supereminet, nec debet esse ita altus &  
eminens, ut Diaconus, aut alij cogantur ascendere su-  
per Altare & ei pedes super ponere cum ibidem SS.  
Sacramentum collocandum, ut adoretur, vel inde re-  
mouendum, cum hoc indecens omninò videatur, &  
indecorum, vel si non aliter fieri possit, consternatur  
scabellum quod aliquot gradus contineat sufficien-  
tes, ut ad illum locum facilis sit ascensus, citra inde-  
centiam.

§. 20. Nunquam Monstrantia cum SS. Sacramento  
pro adoratione populi exponenda, aut exposita repo-  
nenda, nisi thurificatio in Rubricis Missalis sæpius  
præscripta, nec non luminaria sufficientia adhibean-  
tur: ne actibus hisce reuerentialibus, ac caremoniis  
ipsi Sancto Sanctorum à Rubricis, multis in locis præ-  
scriptis negligenter omissis, cultus, honor, ac venera-  
tio eiusdem irreuerenter minuatur.

§. 21. Quando Sacerdos in Missa priuata consecra-  
turus est Hostiam in Monstrantia pro adoratione po-  
puli ponendam, tunc ante Missam super Patenam po-  
nit duas Hostias, atque ipsam Monstrantiam ante  
Missam super Altare inter Candelabra ad cornu Epi-  
stolæ collocari facit: atque utramque Hostiam offert,  
ac more solito consecrat, illam tamen solum eleuat  
quam sumere intendit, alteram verò aptat in lunula  
Monstran-

Gauantus

part. 4. tit.

12. num. 11.

part. 281.

Gauantus

part. 4. tit.

12. num. 8.

Cerem. Episc.

lib. 2. c. 33.

Missal fer. 5.

6. 6. maioris

hebdom.



Monstrantia statim sumpto sanguine; & ipsam Monstrantiam cum SS. Sacramento velo coopertam ante Purificationem includit Tabernaculo. Quod si vel Tabernaculum non sit in summo aut illo altari quo Sacerdos celebrat eo casu nihilominus antequam sumat purificationem collocat, vt supra, Hostiam lunula Monstrantia. Deinde ponit ipsam Monstrantiam cum SS. Sacramento in medio Corporalis illarum que paruo tegit velo, deponitque Calicem suum parte Euangelij post abluitionem digitorum suorum, demum genuflexiones & reuerentias obseruat vt supra annotauimus; ipsamque Monstrantiam cum SS. Sacramento finita Missa debitis cum Carmonijs defert ad Tabernaculum.

§. 22. Consuevit nonnunquam ratione festi cuius Ecclesie SS. Sacramentum mane, vel tantum ante summum Sacrum, aut Vesperas, sine Completorium de expressa licentia Diocesanoꝝ Episcoporum exponi, iisque absolutis officijs statim reponi & recludi, nullo certo horarum numero seruato, sed tantum habita ratione sacri, Vesperarum, vel Completorii, & tunc in expositione, & repositione omnia ea fiant que tam circa preces 40 Horarum, quam circa Missam seruandam coram SS. Sacramento, prescribuntur.

§. 23. Notandum quod in genuflexionibus superscriptis decenter faciendis, pes primùm sinister ab antipendio quantum sit ab infima parte altaris semouendus, postmodum dexter, manus super Altare hinc inde a corporalis vtramque extremitatem, vel potius a corporis proprii latitudinem dispositis, vnicuique dextro stertendum est: Ita enim & maiori cum decetia, & grauitate fiet neque quod sæpè fit, impingetur genu sinistro in ipsum altaris antipendium.

§. 24. Item notandum pro conuersione ad populum cum dicendum est *Dominus vobiscum* vt pedem sinistrum cum Altare osculatur amoueat paulisper ab infima parte Altaris, illicque figat illum, dum se inuertit sequatur & dexter: sicque inuersus paulisper aberit ab antipendio, vt nec illud, nec planetam confractione, aut complicatione atterat, aut corrumpat.

